



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Decreta Provinciae Mediolanensis Svb B. Carolo Borromeo, Cardinale
Archiepiscopo, Diuersis temporibus in sex Concilijs, totidemq[ue]
voluminibus edita

Speciano, Cesare

Brixiae, 1603

Caesar Specianvs Dei Et Sanctae Sedis Apostolicae Gratia Eiscopvs
Cremonen...

urn:nbn:de:hbz:466:1-10553

CAESAR SPECIANVS

DEI ET SANCTAE SEDIS
APOSTOLICAE GRATIA
EPISCOPVS CREMONEN.

AC SANCTISS. D. N. D. CLEMENTIS,
diuina prouidentia Papæ Octauī,

Et dictæ Sedis apud Serenis. Principem Rodolphum II. in Impera-
torem electum, cum facultate Legati de latere
Nuncius;

CAPITVLO, ET CLERO CIVITATIS, ET DIOEC.
*nostræ salutem, & perpetuam felicitatem in eo qui
est vera salus.*



QVEM AD MODVM sine sole, etiam si cæte-
ra sydera extitissent, tenebræ perpetuæ or-
bem vniuersum obruissent; ita Prouincia
nostra Mediolanensis his temporibus, quã
uis multis sacerdotibus, & dignitatis amplitudine, & vitæ
sanctitate præstantibus, abundaret, tamen sine excellenti
ac prope diuina Caroli Borromei viri clarissimi, & Cardi-
nalis Sanctissimi, quẽ tanquam Patrem semper colui, vir-
tute, ad veram perfectamq; antiquæ ecclesiasticæ discipli-
næ cognitionem nunquam peruenisset. Nam siue doctri-
nam spectemus, qua ducimur ad intelligendum siue mo-
res, doctrinæ præceptis conformatos, quibus ad bene a-
gendum impellimur, vtraq; re ille sic excelluit, vt solus
inter clarissima prudentiæ, & pietatis lumina, lucere vi-
deretur. Nunc diuinum Antistitem, quia viuum amaui,

† 2 & colui

& colui sanctissimè, mortui etiam memoriam pia obser-
uantia mihi perpetuò prosequendam, proposui Quæ san-
nè me causa cõmouit, vt sex eius Synodos Prouinciales,
quas Medioplani diuersis temporibus celebrauit, à me in
commodiorem ordinem redactas, ad maiorem Dei glo-
riam vestrumq; in virtutis & pietatis via progressum,
promulgandas statuerem: huc accessit etiam quædam of-
ficij mei ratio, quæ me, vt id facerem, non mediocriter in-
citauit. Nam cum nonnullis ex his Synodis, licèt non-
dum Episcopus interfuerim, & earum postea confirma-
tionem à Pont. Max. Romæ impetrarim, id quoq; mihi
præstandum esse duxi, vt in illis, in hanc commodiorem
formam redigendis, aliquid studij & operæ ponerem,
præsertim cum exploratum haberem Cardinalem ip-
sum, cuius intima, atque diuturna consuetudine sum
vsus, huiusmodi Conciliorum suorum methodum sequi
decreuisse, sed morte interceptum quod decreuerat, exe-
qui non potuisse. Nunc autem meam cogitationem, cum
multæ publicæ variæq; occupationes, quibus, ex muneris
impositi ratione, assiduè distringor, hætenus retarda-
rint; nunc tandem aliquid temporis surripiendum cura-
ui, ad Constitutiones horum sex Conciliorum, sex etiam
libris compræhensas, vno volumine, qua possem perspi-
cuitate, in publicum proponendas. In quo quidem hanc
rationē secuti sumus, vt quæ occurrerent in his Synodis,
vel non necessaria, vel eadē sæpius repetita, vel vti pro re-
nata fieri solet, & postulat temporum conditio, à poste-
rioribus Synodis emendata, vel penitus emendata, ea
omitteremus. Ordinem autem in disponendo, qui vi-
deatur

debat ad nostrum institutum accommodatissimus, quiq̄ue à Gregorio Nono huius nominis Pontifice, in digerendis quinque Decretalium libris, seruatus est, pijs & studiosis lectoribus penitus notus, tenuimus. Illud præterea spectauimus, vt hæ Constitutiones, saluberrimis Pontificum decretis, vnde bona earum pars hausta est, congruenter & appositè responderent. Porro nè quid pro instituta huius libri breuitate, cupidus & pius lector desideraret, locum, vnde res certæ fusius tractatæ ab ipsis Concilijs peti possent, indicauimus. Reliquum est igitur, vt vos omnes, & in primis qui animarum curam suscepistis, has tanti viri atque Antistitis Constitutiones semper apud vos habeatis, & quæ in illis, sanctè Constituta sunt, vita & factis, vti pius decet, perpetuò seruetis; ac omnibus vobis commissis seruanda sæpè proponatis; vt cum ex hac ad Cæsarem legatione, ad meam Ecclesiam rediero, quod breui, Deo dante, futurum spero, inueniam vos ex assidua & accurata huius libri lectione, ad christianæ vitæ perfectionem, studio flagranti contendentes. Perfectionis autem Christianæ, vti scitis, summa lex, est Charitas; Charitatis verò rex, est Diuinitas; Diuinitatis porro Regnum est Aeternitas. Charitas nos benè agere iubet, Diuinitas rectè agentes iuuabit, ac trahet, Aeternitas autem recipiet, & retinebit attractos; In quam æternitatem noster Borromeus in Cælo, vt speramus, iam beatus, nos etiam omnes suis ad Deum assiduis precibus pertrahere contendit. Valete, & me vobis omnibus foelicia quæq; precantem, vestris orationibus adiuuate.